



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

VIII. De ministro, qui ex potestate delegata potest à reseruatis absolvere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

& multò minùs absolutio à censuris : quia hæc omnia dari possunt iis solum, qui habent intentionem ponendi requisita; quam intentionem ille non habet.

110. Si autem pœnitens non aduerterit defectum confessionis; tunc probabile existimo, quod auferatur reservatio; saltem, si postea cetera requisita ponat: quia probabile est, ut vidimus, non peti necessariam confessionem in eiusmodi Iubileis, si pœnitens, factò examini, iudicat, non esse sibi necessariam; quia non inuenit peccatum graue non confessum. Sed facta illa confessione inualida, iam pœnitens, factò examine, non inuenit peccatum graue, quod debeat confiteri; ergo, si ponat alia omnia requisita, facit, quod exigitur ad obtinendam facultatem; & privilegia, quæ in Iubileo conceduntur.

111. Dixi, *saltem, si postea cetera requisita ponat*: quia posset aliquis opinari, virtute illius absolutionis inualide ablatam esse iam reservationem, licet alia requisita postea non ponantur: nam, licet Pontifex nolle dare facultatem Confessario tollendi reservationem à peccatis extra Sacramentum; non posset enim confessor scorsim velle auferre solam reservationem, videtur tamen posse, quoties bona fide vult absolvere à peccatis, tollere reservationem, licet ob indispositionem pœnitentis, ipsi pœnitenti ignoram, non posset absolvere à peccatis: sicut etiam Religiosus qui ex privilegio absolvere potest à reservationis, auferit reservationem; licet absolutio à peccatis sit inualida ob indispositionem pœnitentis.

112. Confirmatur: quia, saltem quoad censuras, non apparet, cur non esset valida tunc absolutio, cum virtute Iubilei possit aliquis absolui ab excommunicatione, etiam extra Sacramentum; indispositio ergo ad iustificationem non impedit absolutionem ab excommunicatione: Hinc autem argui potest ad ablationem reservationis; quia, si validè absoluitur ab excommunicatione: ergo ad minus auferretur reservatio peccati habentis excommunicationem reservationem, iuxta communem Theologorum sententiam. Deinde, sicut potest Confessarius tollere validè vinculum excommunicationis virtute Iubilei ei, qui confitetur inualidè; cur non poterit eadem virtute solvere vinculum reservationis peccati, non obstante inualiditate confessionis?

113. Addo, etiam si pœnitens aduertat defectum confessionis; aliquando tamen posse habere intentionem lucrandi Iubileum, & ponendi omnia requisita, si v.g. habeat animum confitendi postea validè ante finem hebdomadæ: & tunc videtur validè absolui ab excommunicatione, & censuris reservatis in illa confessione inualida: quia absolutio à censuris prius datur, quam absolutio à peccatis; & eius valor non dependet à valore future absolutionis, præsertim cum dari possit extra Sacramentum: cum ergo ille habeat intentionem lucrandi Iubileum, iam videtur esse dispositus ad obtinendam absolutionem à censuris, licet non sit dispositus ad absolutionem à peccatis. De ablatione autem reservationis peccatorum magis dubitari posset: sed certè probabile mihi videtur, quoties defectus non sit in integritate circa ipsa reservata, tolli posse reservationem virtute illius absolutionis, si pœnitens habeat animum lucrandi Iubileum, & confitendi postea validè, ac ponendi omnia alia requisita. Quia, sicut Confessarius ex privilegio, & delegatione absolvens validè, tollit reservationem peccati, licet confessio sit inualida ob defectum etiam pœnitenti cognitum; dum tamen non sit circa integritatem debitam in reservatis, non video, cur non possit etiam virtute Iubilei Confessarius solvere vinculum reservationis peccati in paribus circumstantiis, licet non absoluat ab ipso peccato propter indispositionem pœnitentis.

Infero quinto, ipsam etiam absolutionem ab excommunicatione aliquando irritam reddi propter indispositionem pœnitentis, ut cum parti non satisfaci, cum possit: quo casu Confessarius, vel inualidè, vel certè illicitè absolueret; quare, licet utatur verbis generalibus, in quantum possumus, & indiget non comprehendit illum casum, in quo non potest, saltem licet absolvere, ut obseruat Aula de censuris, p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. conclus. 2. in fine. Coninch. in præfati, disp. 8. dub. 12. n. 97. Quod idem dicendum est, quanto pœnitens sponte, & sine ulla causa recitet excommunicationem, quam habet.

Petens, quid, si aliquam manifestet excommunicationem; sed taceat scienter, & culpabiliter peccatum, cui annexa est; tunc ne absoluitur ab excommunicatione: Si enim ab illa absoluitur validè, iam eo ipso ablata est reservatio peccati, cum tamen scienter illud taceat. Respondet, casum repugnare: quia non potest explicari excommunicatio in specie, quin debeat etiam peccatum, ob quod contracta est: si autem pœnitens solum explicat in genere excommunicationem reservationem, & malitiosè tacet causas, perinde erit, ac si taceret etiam excommunicationem.

Vltimò infero, quæ dicta sunt de ablatione reservationis circa peccatum oblitum inculpabiliter, locum etiam habere circa peccatum reservatum non oblitum; quod tamen pœnitens ob iustam causam taceat, v.g. ut vitaret graue damnum sui, vel alterius, quod ex confessione talis peccati prudenter timebat: tunc enim eodem modo dicendum est de cessatione reservationis illius peccati, sicut dictum est de cessatione reservationis circa peccatum oblitum, ut obseruauit Homobonus in exam. Ecclesiast. par. 1. tract. 5. cap. 6. quest. 38. & alij.

SECTIO VIII.

De ministro, qui ex potestate delegata potest à reservatis absolvere.

Facultatem hanc delegare possunt ij omnes, qui potestatem ad eorum absolutionem: possunt autem eam delegare eodem modo, quo dispositione præcedenti diximus, iurisdictionem ad alia peccata posse, vel intelligi delegari. Hoc pacto habent iurisdictionem delegatam ad multa reservata Religiosi, præsertim Mendicantes: item ille, qui eligitur à pœnitente potente virtute Bullæ, aut Iubilei eligere Confessarium, qui enim absoluat à reservatis Qui autem, & quantum iurisdictionem delegatam habeant ad reservata, pendet ex privilegiis, quæ singuli habent, vel pro sua persona, vel pro sua communitate, quorum notitia ad singulos pertinet. Nunc ergo aliqua magis dubia explicabimus, quæ circa huiusmodi delegationem possunt occurrere.

Primò ergo dubitari potest, an, quando aliquis perit à Prælato eius auctoritatem pro vno subdito suo, pro vna vice; in hac petitione includatur ipse petens, qui petiuit ut virtute illius licentia possit ipse absolui. Affirmatiuè respondet Alphonsus de Leone de offic. & potest. Confess. tom. 2. recoll. 6. n. 131. Alij distinguunt: nam, si petens dicat, *Est quadam persona, quæ indiget vestra auctoritate: placeat vobis, illam mihi dare*? tunc videtur ipse petens inclusus in illa generalitate, argumento legis, Paulus respondit, *fin. ff. de pignoris*. ubi quando seruus ex consensu domini in aliquo contractu obligat omnia domini bona, comprehenditur in illis bonis obligatis ipsemet seruus. Si verò petens illam facultatem dicat: *Rogatis, ut des mihi tuam facultatē pro vna persona non possit illa pro se ipso vri*. Hanc sententiam tenet Diana 2. tom. tract. 4. de Sacramentis, resol. 142. & pro ea citat Floronum de casib. refer. par. 1. cap. 3. §. 1.

110. In hoc tamen non potest dari una regula generalis: quia pendet omnino ex intentione, & consuetudine, quam concedentes talem facultatem habent. Unde in nostra Societate Superior nunquam per similem formulam intendit comprehendere petentem: quia semper concedere solet facultatem, determinando personam, cui absolutionem committit: quare, quando concedit facultatem petenti, concedit illi soli facultatem absolvendi; nec posset virtute illius facultatis alius absolvere, etiam si ille moreretur: cum ergo ipse non possit absolvere seipsum, non intelligitur ipse inclusus in tali facultate. Quando autem licentia peteretur pro aliquo subdito, ut possit ipse eligere Confessarium pro una vice, dicendo, v. g. *Unus subditus indiget facultate vestra pro una vice, ut faciat se absolvere ab aliquo Confessario*, tunc non videtur exclusus ipse petens, nisi ex aliis circumstantiis significaretur exclusio. Unde, quando Superior non solet determinare personam, cui dat iurisdictionem; sed dat poenitenti facultatem eligendi, non videtur exclusus ipse petens, si verba non significant eius exclusionem. Atque ita credo, quod qui à sacra Poenitentia peteret pro vno indigente facultatem ad faciendum se absolvere pro una vice, ex vi horum verborum non esset exclusus ipse petens. Similiter de suo Ordine testatur Villalobos in *Summa, tom. 1. tract. 9. difficult. 64. num. 4.* quando Prælati alicui concedit, absque restrictione, suam auctoritatem, intelligi de activa, & passiva: quia hic est stylus, & hæc est mens Prælati, dum aliud non dicit.

Secundò dubitatur, an facultas, quæ petitur, & datur pro hac vice, extendatur ad peccatum etiam commissum post petitam, & obtentam facultatem, antequam fiat confessio: v. g. si in illo tempore intermedio subditus lapsus sit in alia duo, vel tria peccata reservata. Aliqui simpliciter negant, quia eiusmodi concessio daret animum liberius peccandi. Ita Azor 1. *pari. lib. 5. cap. 23. quest. 2.* Alij simpliciter affirmant: quia, ubi concessio est absoluta, & illimitata, non debet à nobis sine causa limitari. Pro hac assertur P. Salas de *legibus, disp. 17. sect. 8. n. 51.* Sed ille loqui videtur de facultate concessa in Bulla Cruciatæ, de qua est multò diversa ratio, cum sit facultas pro toto anno, & ad omnes confessiones, quæ durante illo anno occurrere possunt. Eam tamen sententiam tenere videtur Bonacina de *legibus, disp. 1. q. 3. puncto 7. §. 1. n. 11.* & Ioannes Præpositus in *presenti, q. 9. de reservatione casuum, dub. 3. n. 22.* ubi sic ait: Si Parochus petenti per litteras potestatem absolvendi aliquem à casibus reservatis, in quos incidat, ea facultas concedatur, & poenitens rursus incidat in similem casum, antequam confiteatur, videtur etiam posse ab illo absolui: quia petitorio, & concessio tacite intelliguntur de similibus casibus, qui post illam concessionem, clauibus bona fide subiciuntur. Quod etiam videtur verum, licet Parochus scripserit, non esse periculum relapsus: quia, eo non obstante, concessio est absolute facta, & independentem ab eo, quod non relaberetur: neque id adducendo Parochus bona fide decepit Episcopum. Hæc ille, quem pro hac sententia assert, & sequitur Diana 3. *tom. tract. 4. miscellan. resolut. 109.* Sed revera non est omnino idem casus, quando Confessarius petit licentiam absolvendi aliquem, ac quando poenitenti datur licentia eligendi Confessarium pro hac vice.

121. Alij enim distinguunt inter hos duos casus, & dicunt, in priori casu posse absolui à commissis post datam licentiam, in posteriori non posse. Ita Vgolinus de *potestate Episcopi, c. 36. §. 5.* quem allegat P. Ioann. de *Lugo de Poenitentia.*

& sequitur Barbosa de *potestate Episcopi, allegatio. ne 32. n. 9.* & in hoc sensu videtur loqui Azor loco citato. Ratio autem est: quia in secundo casu daretur occasio peccandi, atque idè illa extensio esset illicita, iuxta l. *Si unus, §. Illud nulla ff. de pactis.*

Alij distinguunt aliter de peccatis commissis post datam licentiam, antequam acceptetur à poenitente, quæ possunt absolui: & de peccatis commissis post acceptance, quæ dicunt non posse absolui. Alij denique dicunt, posse absolui peccata postea commissæ, non tamen si committerentur ea occasione, & propter licentiam datam.

Ego aliter distinguem: nam aliquando licentia datur ad absolutionem pro tali peccato, pro quo petitur: aliquando verò datur simpliciter facultas eligendi Confessarium pro hac vice, & qui possit absolvere. Priori modo solent illam licentiam concedere Superiores in nostra Societate: Confessarius enim (si forte necessitas occurrat, petit licentiam absolvendi quemdam subditum à quodam peccato, in quod lapsus est, quam petenti Superior concedit; cum autem licentia intelligenda sit iuxta verba petentis, & ille petat ad absolvendum à peccato commissio, non videtur posse extendi ad nondum commissum, cum talis licentia petita non sit. Fateor, quod posset Superior licentiam magis amplam concedere, quam petatur: ut, si petenti ad absolvendum ab uno peccato dicat: *Ego concedo tibi totam meam facultatem, ut possis illum audire, & absolvere ab omnibus.* Et tunc videretur etiam inclusum peccatum commissum post hanc concessionem ante confessionem. Cæterum, quando Superior præcisè concedit id, quod petitur; non videtur facultas se extendere ultra id, quod significant verba petitionis, scilicet, ad absolvendum à peccato commissio.

Confirmatur: quia Superior hoc modo licentiam concedens potest, & solet aliquando determinare poenitentiam imponendam poenitenti, ut farentur Doctores: non ergo intendit dare facultatem pro committendis: quomodo enim posset pro illis nunc determinare poenitentiam, cum ighoret, quot, & quam gravia futura sint? Solum ergo indicat de commissis, ad quæ tribuit suam potestatem: quia de illis habet iam sufficientem notitiam. Pone enim, hodie peti licentiam pro vno lapsu carnis, & cras, ante confessionem, committi 10. vel 12. similia, vel graviora peccata: quis dicat, intentionem Superioris illa comprehendisse, quibus cognitis fortasse licentiam negasset, vel graviora remedia adhibuisset.

Hinc infero, quando eiusmodi licentia in Poenitentia sacra conceduntur cum illa formula *super præmissis*, vel, *à præmissis*; videri ex tenore, verborum restringi licentiam ad enarrata: atque idè, si petita fuit absolutio pro determinatis peccatis commissis, & licentia detur absolvendi à præmissis; non videtur extendi ad committenda, nisi aliqua clausula adiungatur, qua significetur ampliatio licentiæ ad casus etiam non petitos.

Quando verò facultas conceditur posteriori modo, nempe, ut poenitens eligat Confessarium, qui pro hac vice eum possit à reservatis absolvere, vel Confessario datur licentia audiendi illum, & absolvendi hac vice à reservatis: tunc siue facultas concedatur Confessario, siue ipsi poenitenti; admitterem, posse absolui à commissis similibus post licentiam concessam, atque etiam à commissis post habitam notitiam facultatis concessæ: in quo casu placet sententia Bonacina, & Ioannis Præpositi: quia concessionis verba non significant limitationem: & licet inde per accidens sequi possit occasio peccandi, id non facit illicitam talem concessionem, ut

P p volebant

volēbant Azor, & Vgolinus alioquin illicita esset concessio Bullæ Cruciatæ, in qua datur facultas pœnitenti eligendi Confessarium, qui absoluat à reſeruatīs committendis pro toto anno. Item, illicita esset concessio Iubilei, in quo Papa concedit similem licentiam pro duabus hebdomadis, cum possit pœnitens tunc differre confessionem vsque ad finem secundæ hebdomadæ. Denique idem inconueniens esset, licet licentiā non concederetur pœnitenti, sed Confessario: quia pœnitens posset, habita notitia illius facultatis, liberius peccare ante confessionem, atque idēd illicita etiam esset facultas, quam à Pontifice habent Regulares absoluenti sæculares à reſeruatīs, vel quam alij habent ab Episcopo absoluenti à reſeruatīs ipsi Episcopo: siquidem hæ omnes licentiæ possent dare occasionem pœnitentibus liberius peccandi. Omnes ergo debemus fateri, illud malum, si quod est, sequi omnino per accidens, & præter intentionem Superioris, qui prudenter iudicat, maius bonum esse, quod subditus hac occasione liberari omnino possit à suis peccatis, & non incidat in barathrum desperationis, quàm quod impediatur illa qualiscumque occasio liberius peccandi ad breue tempus. Quare hoc modo interpretandæ videntur facultates, quas aliqui Prælati regulares concedere solent suis subditis obtinendi absolutionem ab omnibus reſeruatīs in certis Festiuitatibus. Si enim illas non limitent ad peccata iam antea commissa, extendi videntur ad peccata committenda, etiam post datam licentiam; dum tamen sit ante licentiæ vsum, qui ad talem diem, vel festiuitatem alligatur.

125. Petes, quid, si ille pœnitens differat vsum facultatis, quam habet, eligendi Confessarium, *pro hac vice*; & interim committat alia peccata similia? Si enim concedamus, posse differri ulterius, & ulterius, & semper manere eandem facultatem ad absolutionem pro omnibus commissis; vsque ad diem, qua pœnitens vitur facultate; sequitur, posse ad finem vsque vitæ differri, vt in senectute faciat se absolueri semel, & simul ab omnibus peccatis totius vitæ: quod videtur esse contra mentem sacre Pœnitentiæ concedentis illam facultatem, *pro hac vice*.

126. Respondeo, illa verba, *pro hac vice*, coartcare proculdubio facultatem; non tamen ita, vt à peccatis solum ante concessionem commissis possit absolui; sed à commissis, vel committendis ante absolutionem intra certum tempus, quod sufficiat ad verificanda moraliter illa verba, *pro hac vice*. Aliundè tamen videtur ex hoc fieri, quod, etiamsi nulla peccata noua commisisset post concessionem; non posset tamen vti illa facultate ad absolutionem pro peccatis antea commissis, si elapsum fuisset iam illud tempus, quod requiritur ad verificanda verba illa, *pro hac vice*: quod etiam nimis durum, & scrupulosum mihi videtur. Cur enim non posset post annum, & biennium vti facultate illa in ordine ad peccata sola, quæ antea commiserat, si nondum illo privilegio vsum fuerat? Diei posset, illa verba, *pro hac vice*, verificari posse vtroque modo; & alterum ex illis sufficere ad eorum veritatem. Quando enim tempus esset præſens, ita vt nondum censeretur tanta distantia temporis, quæ sufficeret moraliter ad falsificandam illam loquutionem; tunc, etiamsi alia similia peccata noua commisisset; posset eligere Confessarium; quia adhuc diceretur hac solum vice absolui. Quantum autem temporis possit illis verbis comprehendere, pendet ex iudicio prudentis, & ex circumstantiis: nam, quando ea licentia conceditur occasione ali-

cuius Festiuitatis, vel necessitatis occurrentis, in qua oportet confiteri, minus tempus videtur includi: quando verò aliquis petit à sacra Pœnitentia facultatem semel eligendi Confessarium in ordine ad reſeruatā, & conceditur *pro hac vice*, videtur ad maius tempus extendi.

Quando verò nulla alia peccata noua post licentiam concessam commissa fuissent, videtur, quod, etiamsi duo, vel tres anni, aut plures elapsi essent, posset adhuc pœnitens vti illo privilegio: tunc enim verificarentur illa verba, *pro hac vice*, ratione materiae, quæ esset eadem. Itaque ad verificanda illa verba alterum videtur sufficere, quod, scilicet, absolutio sit de his peccatis narratis, & non aliis nouis, vel, quod fiat hoc tempore, moraliter loquendo, & non alio longè distanti.

Aduerto denique, quando Superior concedit licentiam, prout petitur & in ordine ad illud peccatum, quod narratur commissum, non solum non extendi ad peccata commissa post concessionem licentiæ, sed neque ad commissa post petitionem. Vnde, si pœnitens heri confessus est duo peccata reſeruatā, & Confessarius dixit, se velle petere facultatem, & hodie petita, & obtenta facultate, inuenit pœnitentem heri, vel nocte præcedenti post confessionem lapsum fuisse in alia duo reſeruatā, licet illa commissa fuerint ante concessionem licentiæ, non videtur tamen licentia ad illa extendi: quia Superior dedit licentiam ad illa peccata absoluenti, quæ Confessarius ei dixit, & pro quibus Confessarius petebat: hic autem non petebat, nisi pro iis, quæ sciebat commissas, nec alia proposuit Superiori, nisi illa: ergo nec Superioris licentia extenditur ad alia, cum non se extendat magis facultas, quàm intentio concedentis. Vnde prudenter faciet Confessarius, si in simili casu petat ad eandem licentiam pro omnibus commissis vsque ad illud tempus, vel etiam pro omnibus, quæ tempore confessionis inuenerit: & non restringat petitionem ad peccata, quæ scit iam esse commissa.

Hac occasione solet tertio dubitari, an virtute Iubilei, vel similis facultatis delegatæ, possint absolui reſeruatā commissa ob confidentiam talis facultatis, aut privilegij concessi, vel concedendi. Negare videntur Couaruu. lib. 2. *variæ. cap. 2. n. 26.* & alij, quos refert Acolta in *explicatione Bullæ Cruciatæ, quæst. 33.* Et probati posset ex eo, quod pet Bullam compositionis pro debitis incertis, quæ conceditur ab eadem Cruciatâ, non potest fieri compositio pro debitis illis, quæ aliquis contraxit ob spem compositionis faciendæ per dictam Bullam, vt in eadem Bulla exprimitur.

Contraria tamen sententia verissima est, quam docent communiter omnes: Thomas Sanchez lib. 4. in *Decalog. cap. 54. num. 18.* Villalobos in *Summa tom. 1. tractatu 27. caus. 9. §. 2. num. 19.* Ledelma in *Summa tom. 1. tract. de pœnitentia, cap. 13. dub. 10.* Filliucius tom. 1. tract. 8. capite 10. num. 262. Sanctarellus de *Iubil. capite 8. dub. 10.* & alij communiter. Quia, vbi lex non distinguit, nos non debemus distinguere. Si ergo in Bulla Iubileo, vel quavis alia facultate datur licentia absoluenti ab omnibus peccatis, non debet restringi ad illa sola, quæ non sunt facta ob confidentiam privilegij. Quando enim Pontifex voluit illam restrictionem ponere in Bulla compositionis, eam expressit: ergo, vbi non expressit, noluit eam ponere: & merito, quia fuisset occasio dubiorum, & magnæ perplexitatis: nemo enim ferè est, qui, quando peccat, non reddatur facilius ad peccandum propter spem, quam habet, quod per confessionem poterit à peccato iustificari; atque idēd implicite apprehendere

apprehenderet ferè semper facultatem ipsius confessionis per Bullam, aut privilegia. Quamvis ergo facilitas, & spes remissionis avertat illud periculum maioris facilitatis ad peccandum, non tamen idè debet tolli facilitatem remediij, sicut nec Christus desit instituire Sacramenta in remedium peccatorum, licet prævideret, eorum occasione multos homines facilius peccaturos, propter facilitatem veniæ, quam per Sacramenta sperant.

Quartò similiter dubitatur, an virtute Iubilei possit poenitens aliquando absolui à peccatis reservatis commissis post finitum Iubilei tempus, v. g. si aliquis illo sabbato ultimo accessit ad confessionem faciendam, & quia longa est, & multa oportet extricare ante absolutionem, non potest perfici; sed Confessarius differt absolutionem usque ad sequentem hebdomadam: an, si postea inveniatur, poenitentem commississe de nouo peccatum reservatum, possit eum ab illo etiam peccato absolvere. Supponimus, potuisse absolutionem differri, & retineri facultatem ad absolvendum à reservatis præteritis; quia causa cæpta fuerat, quando Confessarius habebat iurisdictionem: quod tradunt Henric. & Sà, quos refert, & ex parte sequitur Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 15. n. 17. nam, licet illud non admitat quoad commutationem votorum; admitti tamen quoad absolutionem à peccatis: quia, licet delegata fuerit iurisdictione tempore determinato, potuit tamen ex partium consensu causa ipsa incepta prorogari ex cap. De causis, de officio delegati. Quare deberet tunc Confessarius incepta confessione commutare vota, absolvere à censuris, & auferre reservationem pro peccatis, & reliquam confessionis partem cum absolutione remittere ad hebdomadam sequentem.

Et quidem facilius posset hoc ipsum iuxta formulam Iubilei, quæ prius erat in usu, in qua dabatur facultas Confessario prorogandi in tempus proximum ea, quæ tunc poenitens facere non poterat: quare, cum tunc non posset confiteri, & communicare; potuisset Confessarius prorogare ipsam confessionem ad sequentem hebdomadam, sicut ieiunia, vel alia opera, vel certè ea in alia opera pia commutare. Nunc tamen ea facultas prorogandi, vel commutandi non videtur extendi ad confessionem; nam in hoc ultimo Iubileo, quod

Vb. VIII. Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. hoc anno 1636. amplissime concessit, clausula illa habetur cum restrictione, his verbis: *Quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet, ieiunium, elemosinam, Ecclesiæque, seu Ecclesiarum visitationem, ac interuentum in processione, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius, quem, ut infra, elegerint, eis in alia opera pietatis commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, atque iungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt; pariter concedimus.* Vbi alia opera præter confessionem, & Communionem commutari, vel prorogari posse conceditur. Quam clausulam, & concessionem priores Bullæ habebant sine tali exceptione his verbis: *Quibuscumque quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut Confessarius, quem, ut infra, elegerint, prædicta omnia, & singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit; pariter concedimus.* Hæc sunt verba Bullæ eiusdem Urbani VIII. in alio simili Iubileo, concessò anno 1628. quæ verba mutata fuerunt in hac ultima Bulla, ut constet.

Hoc ergo supposito, dubitatur, an, quando con-

fessio perficitur post transactum tempus Iubilei, possit Confessarius absolvere tunc à reservatis commissis, etiam post finitum Iubilei tempus. Affirmat Bartholomæus de sancto Fausto tract. de Iubileo, lib. 4. q. 133. & probabile videtur iudicare Sanctarellus de Iubileo, c. 8. dub. 7. Alphonsus de Leone de Iubileo, parte 2. q. 16. n. 189. Diana tom. 2. tract. 4. de Sacramentis, resolut. 147.

Contraria sententia vera mihi videtur, quam tenent Sanctarellus, & Alphonsus de Leone locis citatis, & indicat Sanchez dicto num. 17. dum dicit, in prædicto casu poenitentem acquirere ius, ut absolvetur ab omnibus reservatis, & in quibusdam secum dispensetur; & ut commutentur ei vota usque ad Iubilei tempus emissum. Quibus verbis excludere videtur ea, quæ post Iubilei tempus emisisset, quod idem de absolutione à reservatis dicendum est, cum eadem sit de illis ratio.

Ratio est: quia, licet propter causam iam inceptam prorogetur iurisdictione: non tamen prorogatur alia iurisdictione; sed illa sola, quæ prius concessa fuerat, & ad eadem faciendam: prior autem iurisdictione fuerat ad absolvendum à peccatis, & censuris contractis intra tale tempus, & non ad aliud: ergo, si manet eadem iurisdictione, manet ad idem obiectum, nempe, ad eadem peccata, & censuras: nam, si esset ad alia, esset alia iurisdictione de nouo acquisita, non eadem prorogata.

Confirmatur, & explicatur: quia, causam esse inceptam, non facit, quod propter connexionem, & unionem confessionis possit Confessarius absolvere ab aliis peccatis diuersis, eò quod non possit absolvere ab illis prioribus sine istis novis; sed solum dat ius ad perficiendam eandem solum causam, quæ cæpta fuerat, & circa idem. Confessio autem cæpta fuerat circa peccata iam commissæ, nec potuit incipere confessio, aut iudicium circa nondum commissæ: ergo ab illis solum prioribus potest absolvere, ratione causæ inceptæ. Pone enim, postea commississe peccatum hæresis, ad cuius absolutionem non dabatur facultas in Iubileo: poteritne absolui postea ab hoc peccato, quia confessio circa alia cæpta fuerat? Nemo id concedet: ergo, neque ab aliis reservatis commissis post tempus Iubilei absolui poterit: tam enim reservata sunt hæc peccata, sicut hæresis, cum Pontifex solum abstulerit reservationem eorum, quæ committerentur intra tale tempus: ergo, sicut non abstulit etiam concomitantem reservationem hæresis propter connexionem cum aliis, aut propter confessionem inceptam; sic nec abstulit reservationem eorum, quæ tempore sequenti committerentur.

Concedo tamen, si post cæptam confessionem poenitens commisit alia reservata intra tempus Iubilei, ab illis postea posse absolui: quia, licet confessio circa illa non fuerit cæpta; per Iubileum tamen acquisiuit privilegium, & ius, ut absolueretur ab omnibus commissis intra illud tempus; sicut postea possent commutari vota, quæ de nouo fecit intra illud tempus post commutata alia, & post factam, ac finitam confessionem. Admitto etiam id, quod supra ex Auctoribus citatis supposui, posse Confessarium cæptam confessionem, quam tunc perficere non potest: relinquere perficiendam ad hebdomadam sequentem: per hoc tamen non poterit acquirere iurisdictionem novam, aut eam extendere ad id, ad quod prius non extendebatur.

Dices: Vel Confessarius tunc prorogat ipsum tempus Iubilei, vel non prorogat. Si prorogat: ergo absolvetur poterit à peccatis postea commissis: quia illa etiam fiunt intra tempus Iubilei. Si non prorogat: ergo nec poterit absolvere postea à commissis

P p 2 antea

antea: quia pœnitens non potuit acquirere ius ad eorum absolutionem, nisi faciendo, quæ requirebantur ad Iubileum lucrandum: sed hebdomada præcedenti ea non fecit, cum non posuerit confessionem, & communionem, quæ erant ex requisitis: ergo non acquisivit ius, & privilegium ad obtinendam absolutionem, & cætera, quæ concedebantur.

138. Propter hoc dixi *supra*, facilius posse illam sententiam sustineri iuxta formulam antiquam, quia ipsa etiam confessio, & Communio poterant in necessitate commutari, vel prorogari arbitrio Confessarii. Cæterum, adhuc iuxta novam formulam possumus respondere, pœnitentem acquirere ius illud, & privilegium etiam, antequam faciat omnia opera requisita: sufficit enim, si cum intentione, & animo eas faciendi accedat ad confessionem, & ipsam incipiat: nam, sicut ipsa absolutio, & alia dantur ei, antequam faciat opera sequentia; ita videtur acquirere ius ad illa habenda solum per hoc, quod cum animo lucrandi Iubileum eligat Confessarium: posita enim tali electione, statim Pontifex dat ei facultatem absolvendi, commutandi, &c. ut ex Bullæ verbis colligi videtur, ubi omnibus volentibus lucrari Iubileum, conceditur facultas eligendi Confessarium, qui statim possit absolvere, commutare, &c. Per ipsam ergo electionem Confessarii factam cum tali animo, Confessarius acquirit iurisdictionem: quare, cum incipiat audire confessionem, durante tali animo in pœnitente, & per consequens durante iurisdictione in Confessario, poterit postea eadem iurisdictione continuari ratione causæ inceptæ, & non integræ, licet pœnitens videat, se non posse perficere ea, quæ exiguntur illa hebdomada ad lucrandum Iubileum.

139. Quinto dubitari potest obiter circa hoc ipsum, si aliquis sine animo lucrandi Iubileum transgerit utramque hebdomadam, & die ipso Sabbathi in fine secundæ hebdomadæ, mutato animo, velit illud lucrari; an possit absolvi tunc à reservatis virtute Iubilei. Negativam sententiam tribuit Lucæ Pinello de *Indulgentiis*, cap. 23. & Thomæ Sanchez lib. 4. in *Decalogum*, cap. 54. num. 28. Antonius Sanctarellus de *Iubileo*, c. 7. dub. 1. ipse tamen probabilius affirmat cum Lauro de *Iubileo*, part. 1. cap. 2. n. 53. quos sequitur Diana 2 tom. tract. 4. de *Sacramentis*, resol. 152. Sed illi duo Auctores, quos pro contraria sententia afferunt, nihil ibi tale dicunt. Cæterum, pars affirmans probatur: quia, cum possit Confessarius commutare pœnitenti ea opera, quæ ipse quacumque ex causa implere non potest; poterit tunc ei commutare ieiunia, quæ iam observare non potest; poterit etiam commutare visitationem Ecclesiæ, si forte nec hoc facere iam possit; & tunc pœnitens faciendo ipsa die Sabbathi ea opera subrogata, & eadem die confitendo, ac tandem suscepta Eucharistia die sequenti, poterit lucrari Iubileum: ac per consequens potuit virtute illius absolvi die præcedenti à reservatis, & censuris.

140. Sexto dubitatur, an possit feria sexta, v.g. absolvi à reservatis novis ille, qui feria quinta absolutus fuit, & lucratus est Iubileum: potest enim fieri, quod aliquis non potens ieiunare, faciat ex consensu Confessarii, loco ieiuniorum, alia pia opera, quæ omnia explevit feria quinta, atque adeo iam tunc lucratus est Iubileum. Dicendum ergo est, in prædicto casu non posse absolvi iterum feria sexta à reservatis de novo commissis: quia, cum ea facultas detur in ordine ad lucrandum Iubileum, quod in eadem saltem hebdomada bis lucrandum non est; sequitur expirasse iam facultatem pro illo, qui complevit prius, & lucratus est

Iubileum. Sicut è contra, si aliquis Communionem distulit ad sequentem Dominicam; poterit ante Communionem adhuc iterum absolvi à novis reservatis, licet diebus præcedentibus confessus, & absolutus iam fuerit ab aliis: quia, nimirum, facultas illa durat, donec lucratus sit Iubileum, ut observavit in vitroque casu Thomas Sanchez lib. 4. in *Decalog.* c. 54. num. 28. Quare prudenter faciet Confessarius, commutando prædicta opera in aliquid faciendum ipso die Sabbathi, ut longius duret facultas pro reservatis, & pro votis.

Septimo dubitatur, an tempore Iubilei, quo Regulares etiam possunt absolvi à reservatis, possint eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, sed à suo Prelato. Communis sententia negat, quam tenent Suarez in *presenti*, disp. 28. sect. 2. num. 11. Regin. in *praxi*, tom. 1. lib. 1. c. 15. sect. 2. n. 175. Vega in *Summa*, tom. 2. c. 7. cap. 32. Molfesius in *Summa*, tom. 1. tract. 7. c. 16. n. 18. & 27. Homobonus de *casibus reservatis*, part. 1. cap. 5. Naldus in *Summa*, verbo, *Indulgentia*, n. 9. Probat Suarez n. 6. ex responsione Cardinalium in hæc verba: *Sanctissimus Dominus Noster declaravit, tempore Iubilei posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacramentaliter approbati ab Ordinario ad audiendas confessiones: in Bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum qui audituri sunt confessiones; non autem de Ordinario pœnitentium.* Sed hæc verba parum videntur: quia ibi non dicitur, debere, sed posse Regulares eligere approbatum ab Episcopo. Melius probari potest ex verbis Iubilei: nam licet nomine *Ordinarii* aliquando possit intelligi Prelatus regularis ipsius pœnitentis, qui est ipsius Ordinarius, in Bulla tamen Iubilei dicitur expresse, quod possit eligere Confessarium approbatum ab *Ordinario locorum*: quo nomine non intelligitur Prelatus regularis, sed Episcopus, vel eius Vicarius. Unde videtur necessarii exigi, quod Confessarius electus sit approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones, alioquin non est eligibilis ad effectum Iubilei.

Contra hoc tamen opinatus est Bonacina disp. 5. *Sacram.* q. 7. p. 4. §. 1. n. 25. cui durum videtur, quod Religiosus non possit confiteri tunc ad effectum Iubilei suo Prelato, vel alteri Religioso de licentia sui Prelati, etiam si neuter sit ab Episcopo approbatus: cum enim ante Iubileum Religiosus posset, & deberet illis confiteri sine alia Episcopi approbatione: illa verba Iubilei, quod Regulares possint eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, non debent intelligi privative, ita ut Pontifex privare velit pœnitentem iure suo confitendi Sacerdoti approbato solum à suo Prelato: sed potius intelligenda sint accumulative, & ampliative in favorem pœnitentis: ut, scilicet, non solum possit confiteri suo Prelato, aut alteri de eius licentia, sicut poterat antea: sed etiam possit eligere quemlibet alium approbatum ab Ordinario, quem ante Iubileum eligere non poterat. Quod rursus confirmatur: quia multa sunt Regularum Monasteria, in quibus nullus fortasse Sacerdos reperitur ab Ordinario approbatus, eo quod non attendant ad confessionem sæcularium, ut Patres Carthusiani, & Cappuccini: quare illi Religiosi, vel fraudarentur fructu Iubilei, vel deberent extra suum Conventum Confessarium quærere, quod non videtur iuxta intentionem Summi Pontificis.

Cæterum non videtur in hoc recedendum à communi sententia, pro qua stat expresse verborum sensus, quibus dicitur, pœnitentem sæculares, qui cum vel regularem posse eligere Confessarium absolvi

absoluit à reſeruatīs; dum tamen ille ſit à locorum Ordinariis approbatuſ: quæ verba ſine manifeſta violentia non poſſunt aliter explicari. Aliundè ve-
rò, ſi regulares poſſent eligere Confeſſarium non approbatum ab Epifcopo, ſequeretur, quòd poſ-
ſent valide ſibi eligere Sacerdotem, etiam ſecu-
larem ſimplicem non approbatum, neque ido-
neum. Quia in primis Prælatus ipſe regulariſ ex-
tra Iubileum poteſt illi conſiteri, vt ſuprà vide-
mus; poteſt etiam cuilibet ſubdito licentiam dare
illi conſistendi: quod tamen videtur eſſe contra
Pontificis intentionem, qui noluit hanc poteſtatem
abſoluedi à caſibus pontificiſ dare cuilibet Sa-
cerdoti; & merito: quia res tanti momenti, &
in qua grauiffimè errari poterat, non erat com-
mittenda niſi iſi, qui ſaltem Epifcopi iudicio
doctrinam haberent ſufficientem ad audiendas
confeſſiones. Quamvis ergo Prælatus regulariſ
poſſit ſuam auctoritatem ſupra ſubditum com-
mittere Sacerdoti ſimplici: Pontifex tamen Sum-
mus non iudicat committendam auctoritatem
pontificiam ad caſus Pontificiſ reſeruatos cui-
bet Sacerdoti, niſi præcedente ſaltem Epifcopi
approbatione de eius idoneitate. Nec per hoc gra-
uatur nouo grauamine poenitens regulariſ, ſed po-
tius ſublenatur: nam vel indiget facultate Iubilei
ad caſum reſeruatum Pontifici, vel non indiget.
Si non indiget, poterit abſolui de licentia ſui Præ-
lari à quolibet, ſicut antea. Si verò indiget, ſicut
antea debebat recurrere extra Conuentum ad
Epifcopum, vel ad Nuncium, vel ad Poenitentia-
rios; nunc faciliùs poterit recurrere ad quemli-
bet approbatum ab Ordinario; præſertim, cum
non ſit credibile, quod in toto Conuentu non
ſit aliquis ab Ordinario approbatus ad excipien-
das confeſſiones ſæcularium domeſticorum, vel
alicuius poenitentis extraordinarij, vel Sacerdotum
ſæcularium, quos aliquando contingit velle in
eorum Eccleſia celebrare, & vult priùs recon-
ciliari.

144.
An facultas
regularium
ſuſpendatur
per Bullam
vltimo
ſanctam.

Octauo dubitatur, an facultates, quas Regula-
res habere ſolent per ſua privilegia ad abſoluedum
à reſeruatīs, reuocari cenſeantur per Iubileum
anni ſancti, vel per Bullam Cruciatæ, in quibus
ſolet fieri reuocatio generalis ſimilium facultatum.
Et quidem per Bullam Iubilei anni ſancti reuocari
eiufmodi facultates dixit Eſſman. Rodriquez in
Bulla Cruciatæ, §. 12. in addit. dub. 6. verba enim
reuocatoria generalia ſunt.

145.
Contraria tamen ſententia communior, & ve-
rior eſt, quam docet Sanchez lib. 4. in Decalog.
c. 54. n. 62. Henriquez lib. 7. cap. 28. n. 7. & cap. 31.
num. 3. in Gloſſa littera R. Villalobos, & alij, quos
aſſert, & ſequitur Diana tom. 1. traſſ. de Bulla Cru-
ciatæ, reſolut. 100. Filliucius traſſ. 8. c. 10. Benzo-
nius lib. 4. de Iubileo, cap. 8. dub. 3. & 5. Et quidem
ſtando in verbis Bullæ Gregorij XIII. quam re-
fert Nauarrus in §. in Lenitico, notabili 33. non eſt
dubium, cum ibi ſolum reuocentur eiufmodi fa-
cultates Indulgentiarum cauſa conſeſſæ. Vnde
idem Nauarrus ibi reſtatut ſe de hoc dubio Data-
rium Papæ conſuluiſſe, qui reſpondit intentionem
Pontificis fuiſſe reuocare ſola Indulta ſimilia ab-
ſoluedi, &c. conſeſſæ ad lucrandas Indulgentias.
Magis dubitari poterat, attenda Bulla Clemen-
tis VII. anno ſancto 1600. in qua illa verba, In-
dulgentiarum cauſa, omnia fuerant. Sed idem Pon-
tifex interrogatus dixit, eandem fuiſſe inrentio-
nem ſuam: & ad tollendum dubium edita fuit
iterum eadem Bulla, additis eiſdem verbis. Deni-
que anno 1625. in Bulla Sanctiſſimi Domini noſtri
Vibani XIII. omiſſa fuerunt eadem verba; ſortè,
P. Ioann. de Lugo de Poenitentia.

quia ex Bulla prima Clem. VIII. tranſcripta fuit
illa clauſula. Quare, cum iterum de hoc dubitaretur;
ego dixi non fuiſſe reuocatam Regularium fa-
cultatem, primò, quia Vrbanoſ ibi dicit ſe ſequi
exemplum Prædeceſſorum in illa reuocatione: cum
ergo Prædeceſſores non reuocaſſent omnes facultates,
ſed conſeſſas cauſa Indulgentiarum; de iſi ſoliſ
intelligendum eſt. Secundò, quia poſtea non im-
ponit præceptum, nec excommunicationem, niſi
contra publicantes alias Indulgentias: ergo de iſiſ
ſoliſ agebat. Tertio, quia non erat credibile, quòd
Religioſi Prælati eo anno non poſſent abſolueret
ſuos ſubditos ab vlla excommunicatione reſerua-
ta Papæ; quod tamen concedendum eſſet, ſi verba
in ea generalitate acciperentur. Denique poſtea idem
Sanctiſſimus interrogatus hoc ipſum reſpon-
dit, & dixit hanc ſolam fuiſſe ſuam intentionem:
quare de hoc non fuit ampliùs dubitatum.

Quod verò attinet ad Bullam Cruciatæ, aliqui
dixerunt reuocari ibi facultatem Regularium in
ordine ad ſæculares abſoluedos. Ita Nauarrus, Lu-
dovicus Lopez, & Rodriquez; quos aſſert Sanchez
vbi ſuprà num. 61. Idem docet Acosta in explica-
tione Bullæ Cruciatæ, quaſt. 105. Contraria ſententia
communis iam eſt, & verior, quam mutata ſenten-
tia, tenent idem Rodriquez, & Henriquez, quos re-
fert, & ſequitur Sanchez diſſo num. 62. Ledefmæ;
Graſſius, Ioannes de la Cruz, quos reſert, & ſe-
quitur Diana diſſa reſolut. 100. Et probari poteſt:
quia in Bulla Cruciatæ non reuocantur facultates
conſeſſæ Ordinibus, ſed conſeſſæ Eccleſiſ, Mo-
naſteriis, Hoſpitalibus, locis piis, Vniuerſitatibus,
Confraternitatibus, & perſoniſ particularibus, in
quibus omnibus non videntur comprehendī fa-
cultates conſeſſæ Ordini religioſo in comuni.
Quare, cum illa reuocatio ſit odioſa, videtur ſtri-
ctè interpretanda; prout praxiſ communis, quæ
optima legum interpret eſt, eam interpretata eſt:
omnes enim Regulares eodem modo vtuntur ſuiſ
facultatibus ad abſoluedum, & commutandum;
ſcientibus; & videntibus Commiſſariis Bullæ
Cruciatæ, & non reclamantibus; nec contradicen-
tibus. Hanc autem reſolutionem, quoad vtrumque
punctum, tam circa Bullam Cruciatæ, quam circa
Iubileum anni ſancti, docuit etiam P. Ioannes de
Salas in expoſitione Bullæ Cruciatæ, quæ non eſt ty-
piſ edita.

Dubitatur nonò, quando Superior inuſtè negat
licentiam abſoluedi ſubditum ab aliquo peccato
reſeruato: quia ſubditus, v. g. non poteſt abſque
gravi damno ſuo adire ipſum Superiorem, an tunc
poſſit perita, & non obſtante facultate, abſolui di-
rectè ab alio Confeſſario. Aſſerunt aliqui, quos
ſequitur, & reſert Henriquez lib. 6 c. 13. n. 4. quo-
rum ſententiam probabilem æſtimat Diana tom. 2.
traſſ. 4. de Sacramentis, reſolutione 29.

Contraria ſententia eſt communis, quam tenent
Alenſis, Soto, Medina, Philareus, Nauarra, Llamas,
Suarez, & alij, quos reſert, & ſequitur Layman
lib. 5. tr. 6. c. 13. n. 3. vbi latè eam probat. Et quidem,
qui conſiderat verba Tridentini ſeſſ. 14. cap. 7. parum
poteſt de hoc dubitare, cum vniuerſaliter dicatur,
extra mortis articulum Sacerdotes inferiores ni-
hil poſſe in caſibus reſeruatis. Vnde non ſatisfacit,
ſi aliquis dicat, Tridentinum ſolum docere, Sa-
cerdotem inferiorem nihil poſſe circa reſeruata
ſine auctoritate Superioris, quod veriſſimum eſt:
in caſu autem propoſito ad eſſe licentiam Superio-
riſ, ſcilicet, mediati, vt dixit Henriquez loco citato
nempe, Epifcopi, quando Parochus inuſtè negat
licentiam conſistendi alteri, vel Prouincialiſ, aut
Generalis, vel iſiſ Pontificiſ, quando Prælatus

P p 3 regulariſ

regularis negat subito iniuste talem licentiam. Hoc, inquam, non satisfacit: quia, quando Concilium dicit, extra articulum mortis nihil posse circa reservatam inferiorem, idem est, ac si dicat non esse talem licentiam generalem, nisi pro illo casu. Alioquin nec articulum mortis debuisset excipere: nam in illo articulo Sacerdotes non absolunt à reservatis absque facultate Superioris; sed cum facultate Summi Pontificis: ergo, ut illa exceptio non sit omnino extra propositum, regula generalis non erat, quod absque omni facultate Superioris nihil possent; sed etiam, quod talis facultas generalis pro nullo casu data esset præter articulum mortis. Videatur Layman, qui late probat hanc conclusionem. Et nota, nos hic loqui, quantum est ex natura rei, & vniuersaliter loquendo, ut omitamus declarationem quamdam, quæ circumferret Clementis VIII. quod Confessarius ordinarius Regularium, petita facultate à Prælo ad absolvendum subditum: si tamen Superior eam neget contra id, quod Confessarius indicat fieri debere; possit pro ea vice absolvere: qui casus particularis erit, & propærius personis, ut constat.

149. Dubitatur ultimum, an possit idem peccatum esse De multiplici reservatum multiplex reservatione; & an tunc reservatione. ablatam vnam, possit remanere alia reservatio. De hoc agit Suarez disp. 41. sect. 4. n. 25. distinguit de peccato reservato cum censura, vel sine illa: item de reservationibus factis ab eodem Superiore, vel à pluribus. Nam si reservatio sit sine censura, & fiat sæpius ab eodem, siue ab eius successore in eodem munere; reservatio est vna, & per vnam facultatem absolviendi aufertur. Si autem reservetur à diversis Superioribus, ut à Pontifice Summo, & ab Episcopo, facultas solius Episcopi non sufficit ad absolvendum, ut constat: è contra verò ablata reservatione papali, an aufertur episcopalis, Nauarrus in Summa cap. 27. affirmat: ipse verò Suarez putat suppositionem moraliter repugnare. Nam eo ipso, quod Pontifex reservaret sibi peccatum absque censura, iam Episcopus non posset ab illo absolvere: quomodo ergo posset Episcopus reservare sibi illud peccatum, à quo ipse non potest absolvere, & ad quod non potest dare iurisdictionem? Inutilis ergo, & vana esset talis reservatio, nisi forte fingeretur, quod Episcopus reservat sub conditione, scilicet, reservat ex nunc pro tempore, quo cessabit reservatio Papæ, vel è contra, quod Papa vellet tollere suam reservationem, non dando iurisdictionem ad absolvendum, sed præcisè non auferendo illam, qui casus ficti sunt, & moraliter non deferunt ad praxim: Denique, quando peccatum reservatur cum excommunicatione, si reservationes sint pluries factæ, sed omnes tendant ad eandem excommunicationem, semel ablata excommunicatione, nulla manet reservatio: scilicet verò quando & reservationes, & excommunicationes sunt plures: vna enim ablata, potest remanere alia. Hæc late ibi Suarez.

150. Quibus addo, quando Prælo inferior, v. g. Episcopus prohiberet deinde sub excommunicatione sibi reservata peccatum iam prohibitum à Prælo superiori, v. g. Papa sub excommunicatione sibi reservata; tunc, licet obtenta absolutione ab excommunicatione pontificia, adhuc non aufertur excommunicatio Episcopis fuisse tamen ablatam reservationem peccati: quia, cum Episcopus non potuerit reservare sibi peccatum, quod Papa sibi reservaverat, consequens est, ut solum reservaverit excommunicationem à se latam: quare ablata excommunicatione Pontificis, qui sibi reservaverat peccatum, aufertur tota reservatio peccati.

Per accidens tamen non poterit absolvi à peccato propter excommunicationem Episcopi, qui manet. Ceterum, in veteri sententia dicens, quod excommunicatus valide absoluitur à peccato, poterit contingere, quod aliquando penitens ille absolvetur valide, & directè ab illo peccato, manente excommunicatione Episcopi, & quidem licitè, siue, quia ignorata fuit invincibiliter illa perseverantia excommunicationis, siue, quia non erat copia Superioris, & urgebat necessitas celebrandi, vel communicandi: quo casu diximus possit licitè excommunicatum confiteri peccata non reservata alicui inferiori, & tunc non esset obligatio confitendi iterum tale peccatum postea, cum iam directè fuisset absolutum, sed solum obviendi absolutionem ab excommunicatione episcopali.

Addo denique, quod dictum est, non posse validè Episcopum reservare sibi peccatum, quod Summus Pontifex sibi iam reservaverat, (quod idem est de quocumque Prælo inferiori respectu Præli superiori,) locum habere, quando etiam Episcopus, vel Prælo inferior reservatur sibi prius aliquod peccatum: si enim postea Papa, vel Prælo superior illud idem peccatum sibi reservet; eo ipso cessat reservatio Episcopi, vel Præli inferioris: quia tunc etiam per reservationem Papæ aufertur Episcopo facultas absolviendi ab illo peccato, atque idè non potest illud sibi reservare de nouo, nec continuare reservationem prius factam quoad culpam, licet quoad censuram possit. Denique, Sacra Congregatio Cardinalium de mandato Clem. VIII. in suo Decreto edito anno 1602. circa casus reservatos, prohibuit, ne de cætero Episcopi reservarent sibi casus legi solitos in Bulla Cœnæ, nec alios Sedi apostolica specialiter reservatos.

SECTIO IX.

Virum regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ absolvi à casibus suis Prælois reservatis, absque eorum licentia.

151. Res hæc maiori fortasse contentione controversa fuit, quam oporteret propter actum magis extrinsecam gravissimorum Virorum, quam propter fundamenta intrinseca, ut constabit. Fuit ergo prima sententia plurium Doctorum affirmans simpliciter, & absolute, posse Religiosos seu illa facultate Bullæ etiam repugnantes, & contradicentibus Prælois regularibus: quia verba concessionis generalia sunt pro omnibus fidelibus; & quia in ipsa Bulla revoquantur omnia privilegia contraria. Quare ipse Commissarius Cruciatæ, ad quem pertinet Bullæ sensum declarare, sæpè de hoc interrogatus ita respondit. Alij id concedunt, saltem quando Bulla accepta fuit à Religioso, cum licentia Præli: tunc enim dicunt, non posse Prælo postea restringere eius facultatem: sed, quando absque Præli licentia accepta fuit, Auctores huius primæ sententiæ sunt aliqui Doctores, & Magistri, quos suppresso nomine refert Suarez tomo 4. de Religione, tractat. 9. libr. 2. caput 16. num. 2. Item Ioannes Valerius in differentiis vniuersis fori, differunt. 1. conclusionem quintam quem affert Diana 1. tomo, tractat. de Bulla Cruciatæ, resol. 14. & Egidius Trullench. in expositione Bullæ Cruciatæ, lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. ubi illam sententiam late confirmat. Eandem etiam, saltem probabilem, iudicat Ioannes de la Croz de statu Religionis, lib. 1. cap. 6. dub. 12. Ioannes Sanctius in selectis, disp. 44. num.